Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 655

Quelle:
Copyright:

mo Primus Feliciter. Initium: *Multifarie et multis modis* &c. *Uere ubi abundauit delictum. superhabundauit et gratia* &c. Translationem hanc Seculo jam VI. factam *Cassiodoro* nos debere testatur locus ejus *de Div. Lect.* c. 8. *Ad Hebraeos vero Epistolam, quam Sanctus Joannes Constantinopolitanus Episcopus Attico sermone tractauit, Mutianum virum disertissimum transferre fecimus in Latinum.* Post editiones complures extat in edit. *Montfaucon. Opp. Joh. Chrys.* T. XII. p. 5. ad cujus T. *Praef.* circa ea, quae *Notas Chrysostomi, Constantinum Antiochenum* et *Mutianum* spectant, Lectorem remittimus. De posteriore videri et *Fabricius* in *Bibl. med. et inf. Lat.* potest. Codex noster, qui cum edito probe consentit, deficit in his *Sermonis* XI. verbis: *Scit enim cum crudelibus se habere (habitare).* Itaque plus quam *Sermones* XXIII. desiderantur.

II. *fol.* 58. sequitur charactere paullo vetustiore, rubricisque decoratus *Commentarius Hieronymi Stridonensis* Scriptoris Sec. IV. *in Epistolam Pauli ad Philemonem* absque titulo. Initium est: *Qui nolunt inter Epistolas Pauli eam recipere que ad philimonem scribitur* &c. Finis: *Et totiens crescit. quotiens auditus et lectus edificat.* Nihil abludit ab edito in *Opp. Hieronymi* per *Vallarsium* T. VII. *col.* 741.

III. *fol.* 73. p. 2. succedit continuo eodem cultu ejusdem Doctoris *Commentarius in Epistolam ad Galatas* inscriptus: *Incipit ad Galathas.* Initium: *Pauci admodum Dies sunt quod epistolam pauli ad philimonem interpretatus ad galathas transcenderam* &c. Hinc liquet, Librarium nostrum temporis ordinem secutum fuisse. Ad calcem L. I. litera quadra legitur: *Finitus Explanationum. Tomus. I. Incipit Tomus Secundus.* et ad calcem L. II. *Finitus Explanationum Tomus. II. Incipit Tomus. IIIus.* Hic porro *Tomus* seu Liber, quod dolendum, integer non est, sed deficit in expositionis C. VI. v. 6. his verbis: *sed ei qui catezizat. id est non discipulo.* Extat Commentarius hic *edit. Vallarsi.* T. VII. col. 367. quocum collatum Exemplar nostrum sincerae lectionis est.

CCXI. VII. E. 23.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 66. f. nitide exaratus, fronte picturata deauratque *Matthiae Corvini* Reg. *Hung.* Insignia ostentans, e cujus Bibliotheca olim ad *Joh. Fabrum* Ep. *Vienn.* devenit, ut *Nota* tam impressa, quam calci manu adscripta perhibet, hac gaudet inscriptione: *Incipit liber primus dialogi sancti Johannis crisostomi constantinopolitani episcopi et sancti basilii cesarienſis episcopi college beati gregorii nazanzeni. qui intitulatur de dignitate sacerdotali.* Initium: *Michi quidem multi fuerunt amici* &c. Titulus in eo peccat, quod *Basilium* collocutorem non levi ’αναχρονισμῳ *Caesarien-* 341

sem